Quelle: http://manuscripta.at/?ID=376
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

PROLOGVS · L · SAPIENTIE

254

Prolog sapie

Liber sapientie apud hebreos nus quam est. Unde a fidelis etiam magis eloquentiam redolet. Hunc uidet philonis esse affirmant. q. propter sapientia notat. quia in eo xpi aduentus. qui est sapientia patris. et passio euidenter exprimitur.

Capitulum primum.

Diligite iustitiam qui iudicatis terram. Sentite de deo in bonitate et in simplicitate cordis quaerite illum. quoniam inuenietur ab his qui non tentant illum. apparet autem his qui fidem habent in illum. Peruersae enim cogitationes separant a deo. probata autem uirtus corripit insipientes. quoniam in malignolam animam non introibit sapientia. nec habitabit in corpore subdito peccatis. spiritus enim disciplinae effugiet fictum. et auferet se a cogitationibus quae sunt sine intellectu. et corripietur a superueniente iniquitate. Benignus enim est spiritus sapientiae. et non liberabit maledictum a labiis suis. quoniam renum illius testis est deus. et cordis eius scrutator est uerus. et linguae illius auditor. Quoniam spiritus domini replebit orbem terrae. et hoc quod continet omnia scientiam habet

uocis. Propter hoc qui loquitur iniqua non potest latere. nec praeteriet illum corripiens iudicium. In cogitationibus enim impii interrogatio erit. sermonum autem illius auditio ad deum ueniet. ad correptionem iniquitatis illius. quoniam zelus audit omnia. et a multitudine murmurationum non abscondetur. Custodite igitur nos a murmuratione quae nihil prodest. et a detractione parcite linguae. quoniam sermo obscurus iniquum non ibit. Os autem quod mentitur occidit animam. Nolite zelare mortem in errore uitae uestrae. nec acquiratis perditionem operibus manuum uestrarum. quoniam deus mortem non fecit. nec delectatur in perditione uiuorum. Creauit enim ut essent omnia. et sanabiles fecit nationes orbis terrae. non enim est in illis medicamentum exterminii. nec inferorum regnum in terra. Iustitia enim perpetua est. et immortalis. iustitia autem morte acquisita. impii autem manibus et uerbis accersierunt illam. et existimantes illam amicam. defluxerunt. et sponsionem posuerunt ad illam. quoniam morte digni sunt qui sunt ex parte illius.

II.

Dixerunt enim cogitantes non recte. Exiguum et cum tedio est tempus uitae nostrae. et non est refrigerium in fine hominis. et non est qui agnitus sit reuersus ab inferis. quia ex nihilo nati sumus. et post hoc erimus sicut non fuerimus. quoniam fumus afflatus est in naribus nostris. et sermo scintillae ad mouendum cor nostrum. quia extinctus cinis erit corpus nostrum. et spiritus diffundetur tanquam mollis aer. Et transibit uita nostra tamquam uestigium nubis. et sicut nebula dissoluetur quae fugata est a radiis solis. et a calore illius aggrauata. et nomen nostrum obliuionem accipiet per tempus. et nemo memoriam